



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

Tractatvs II. De vitio Gulæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

¶ Tertio, ostenditur idem per hoc quòd vitium innaturale est: sed virtus est secundum naturam. Vnde Ber. Nullum vitium naturale est: omnis verò virtus homini naturalis est. Deinde subiungit:

Virtus, quoniam res nature est, cum venit in animum, aliquando non venit sine labore: sed venit in locum suum, & fideliter se det, & bene cum ea conuenit natura. Via ergo vitiorum aspera est: via verò virtutum est suavis. Sed sicut dicit Hieron. insuauem & asperam fecit nobis viam virtutum longa consuetudo peccandi. Et habetur simile in lumine solis, quod est delectabile oculis. Vnde Eccl. 11. Dulce lumen est, & delectabile oculis videre solem: Contristat tamen lux solis, oculos tenebris assuetos. ¶ Peccatum ergo demonibus placet, Deo summè displicet, & homini summè nocet, sicut ostensum est. Abominabilem etià reddit hominem, & Deo, & Angelis, & hominibus. Vnde Dauid: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Summa ergo diligentia est vitandum. Si vniuersi demones, & mali homines & bestie & omnes alie creature quæ possent homini nocere, essent simul congregatæ ex vna parte, magis rimendum esset vnum peccatum mortale quàm omnia illa. Ad hoc autè quòd nos debeamus ita fugere peccatum, pertinet quod legitur Eccl. 21. Quasi a facie colubri fuge peccatum. Et illud Sene. Cum hominibus pacem habe, cum vitiis bellum. Et iterum: Vitia sine modo & sine ordine persequenda sunt: quia modum & ordinem non habent.

TRACTATUS II. De vitio Gulae.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de quatuordecim quæ valere possunt ad detestationem vitij Gulae. PARS I.

Hoc ordine dicemus de vitio Gulae. Primò dicemus de his quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Secundò, de speciebus eius. Tertiò, de satellitibus quibus vititur vitium istud. Quarto, de remediis contra hoc vitium. ¶ Quatuordecim autè sunt quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Primum est hoc quod natura dissuadet nobis illud. Vnde legitur in scientia naturali, quod inter animalia magnorum corporum nulli dedit natura tam strictum os secundum corporis qualitatem, sicut homini quod sine dubio factum est ad commendationem temperantiae & detestationem Gulostratis. ¶ Secundum est hoc quod vitium istud est requies demonum: vnde Matt. 12. Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida querens requiem, & non inuenit. Loca arida sunt homines separatè viuentes, in quibus diabolus non inuenit requiem. Vnde legio demonum dixit Domino,

vt legitur Matt. 8. Si eiecis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. quod Dominus permisit eis. Postquā enim aliquis quasi porcus vitio gula: est subditus, daemonum habitaculū est. Vnde dicit Gloss. Nisi quis morte porci vixerit, diabolus potestatem in eo non accipit.

¶ *De triplici iniuria que fit proximo ex vitio Gula.*

TERTIVM est multiplex iniuria proximi quæ sequitur ex vitio isto. Triplicem autem iniuriā proximi quæ sequitur ex vitio isto ponemus ad præsens. Prima est, proximi corruptio. Vnde in Psal. Sepulchrum patens est guttur eorū. Ad literā, homo qui se inebriat vespere, os fœtidū habet sequenti mane ad modum sepulchri. Sed ad corruptionem mali exēpli possumus hoc referre. Malo enim exēplo corrumpunt gulosi proximos suos. Ad quod pertinet quod legitur ad Ro. 14. Si propter cibū tuum frater tuus cōstritatur, iam nō secundum charitatem ambulat. Noli cibo tuo illū perdere, pro quo Christus mortuus est. Et in epistola Iu. de gulosis dicitur: Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuātes. Non solū sunt maculati imō sunt maculæ alios maculātes suo exēplo. Secūda iniuria est, q̄ vnus gulosus expendit in piscibus, vnde viginti pauperes satis haberēt de pane. In quo fratres suos de portione eorū defraudat. Omnes fideles fratres sunt. Vnde Ber. Noli putare gratuitum, q̄ impendis proximo: velis nolis debitor es. Tertia iniuria est, conuitia & verbera quæ ebrii & variis repleti ferculis solent inferre vicinis suis. Tumultuosa enim res est ebrietas: vt legitur Proverbio. 20.

¶ *De multiplici contumelia que sequitur ex vitio Gula.*

QUARTO facit ad detestationē huius vitij multiplex cōtumelia Dei, quæ sequitur ex vitio isto. Ex quibus septē ponem⁹ ad præsens. ¶ Prima est, q̄a vitij istud vilissimā creaturam deificat, ventrē scilicet, iuxta illud Apoc. ad Phil. 3. Quorū Deus vter est. Vbi dicit Aug. Hoc ab homine colitur quod præ cæteris diligit. Idololatria ita deterior est in hoc, idololatria paganorū: quia illi auro & argento & marmoreis lapidibus honores diuinos impendere solent: sed gulosus ventrē pro Deo honorat, qui est quasi larrina. In hoc videtur hoc vitij detestabilius esse cūctis alijs vitijis. Secūda contumelia est, quia de tēplo spiritus sancti coquinā facit. Vnde 1. ad Cor. 6. Vos enim tēplum Dei viuī estis. De hoc tēplo facit coquinā, qui ad eū se implet cibus & potibus. q̄ igniculus naturalis non sufficit illud decoquere: sed tanquā ex lignis viridibus vel hamulis sumū producit qui hominē pigrū & somnolentum reddit. ¶ Tertia contumelia est, q̄ anima quæ imago est

est beatæ Trinitatis, multum deturpat obsecrando eam, vnde in hominibus, qui laborant vitio isto, implet illud verbû Prophetæ: Denigrata est facies eorû super carbones. Vnde Hierony. Nihil adeo obruit intelligentiã, vt commestatio & ebrietas. ¶ Quartum est, quod hoc vitium multum elogat à Deo. Ad quod pertinet quod dicitur in Psal. In chamo & fræno maxillas eorum cõstringe, q non approximant ad te. Non approximantes ad Deû, sunt homines cibo & potu se replentes, quibus optat David magis ac magis cõstringi maxillas, id est, parcius victualia dari: vt sic salte cogantur approximare sicut accedit famelicus ad dñm. ¶ Quintum est, quod vitium hoc Dei obliuionem inducit. Vnde Osee 13. Saturati sunt & eleuauerunt cor suum: & oblitus sũt mei. ¶ Sextum est, quod Deû blasphematur. Vnde super illud 1. ad Corint. 10. Siue comeditis, siue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite, dicit Aug. si quod manducas & bibis, ad refectiõem corporis sumis, sustentationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi mortali & fragili tribuit ista supplementorum solatia, cibus tuus & potus tuus laudant Deû. Si verò modum naturæ debitum immoderatione edacitatis excedas, & vinolentia te ingurgies, quanta sibi Dei laudes lingua tua resonet, vita tua blasphematur. Sicut formositas operis artificem laudat, sic eius deformitas eum quodammodo blasphematur. Hier. Valde absurdum est nimia saturitate velle honorare sanctum, quæ scimus Deo placuisse periciunium. Quidam sanctus dixit. Venter receptaculum ciborum omnes hominum labores & momentanea gulæ blandimenta stercore sine condénat: id est, vana fuisse probat. Vnde male viuens, creatorem suum blasphematur. ¶ Septimum est, quod hoc vitium contemnit Deum & quicquid Deus habet. Vnde Esau qui tenet figuram gulosorum, dicit Genes. 25. Quid mihi proderunt primogenita? Et paucis interpositis subditur: Et abiit paruipendens quod primogenita vèdidisset. De gulosis verum est illud, quod pro nihilo habet terram desiderabilem & illud Thren. 1. dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandas animas. ¶ Quintum quod facit ad detestationem huius vitij est hoc, quod vitium istud inquinat membrum illud, in quo magis indecens est immunditia quam in alio membro. In ore minus tolerabilis est immunditia, quam in alio membro, duplici ratione. Primo propter nobilitatem membri. Secundo, quia præ cæteris membris deputatum est diuino officio. ¶ Sextum est, quod prima prohibitio quæ Deus dedit, data fuit contra vitium istud. Vnde Gen. 1. De omni ligno paradisi comedite: de ligno autem scienciæ boni & mali ne comedas. ¶ Septimum est, hoc quod

quòd vitium istud laqueus est in via per quam necesse est nos ire: & ideo magis timendum est nobis. Vnde diabolus hoc vitio hominem tentauit cum esset in paradiso, & in statu innocentiæ. isto etiam vitio primo aggressus est tentator filium Dei. Vnde Gregori⁹ loquens de illo verbo, De necessitatibus in eis erue me: dicit, Necessitates corporales hoc habent periculosum, quòd in eis sæpe minimè dignoscitur quid circa eas vitio vel vtilitatis studio agatur. Has necessitates Psalmista cupit euadere, sciens plerunque voluptatum culpas occasione necessitatis prorūpere. Ait August. Sumenda sunt alimenta tanquam medicamēta: sed dum ad quietē satietatis ab indigētia transitur, in ipso trāsitu laqueus concupiscentiæ insidiatur. Frequenter enim dū hoc fit, adiūgit se quāsi pedissequa periculosa iocūditas, & plerūq; præcurrit vt eius causa fiat qđ causa salutis fieri debuit, & gaudet infelix anima, vt obtētū salutis obūbret negotiū voluptatis.

¶ Octauum est hoc qđ toties in Enāgelio exprimitur tormentū huic vitio reddēdū. Vnde pluries dicit Dominus in Euangelio: Ibi erit flet⁹ & stridor dētū. & dicit glo. qui de edacitate gausi sunt. Et Luc. 16. Mitte Lazarum vt iningat extremum digiti sui in aquā vt refrigeret linguā meā: quia crucior in hac flamma.

¶ *De multiplici malo quod legitur in Scriptura ex vitio Gulae subsecutum.*

NONO facit ad derestationē huius vitij multiplex malū p-ueniens ex hoc vitio. Et primo enumeremus malā quæ in Sacra scriptura reperiuntur euenisse occasione gulæ. Secundo mala quæ eueniūt quotidie his in quibus est vitium istud. Primo enim occurrit nobis qđ vitium gulæ in matre nostra Eua occasio fuit omnium malorum. Secūdo legitur Gen. 9. quòd Noë qui perfectus fuit in generationibus suis, vitio isto deuictus sit. Bibēs em̄ vinū inebriatus est & nudatus in tabernaculo suo. Tertio legitur Ge. 19. quòd Loth, quē Sodoma nō vicit, vino inebriatus, duplicē incestum cōmisit. Quarto legitur Gen. 25. qđ Esau vitio isto dignitate primogenituræ amiserit. Quinto legitur Gen. 4. quòd Pharao faciēs conuiuū grāde, magistrū pistorū suspēdit. Vitio etiā gulæ populus Israēl iram Dei meruit. Vnde in Ps. Adhuc esē eorum erāt in ore ipsorum, & ira Dei, &c. Et 2. Reg. 13. Absalon fecit conuiuū, & interfecit fratrem suū. Amon, cum temulētus esset vino, Et de Holoferne legitur Iudith 11. quòd bibit vinū multū nimis quantum vna die nunquam biberat in tota vita sua, & interfectus est à Iudith. Legitur etiā in principio Job, qđ filij Job bibētes vinū in domo fratris sui primogeniti sunt oppressi, & di-

lous

cit

cit Greg. In maioris fratris conuiuio filios Iob sathan obruit. Nunquid illi ventri vacabant? Quasi diceret: Non: sed ramē inter conuiuia, mentis bona intentio minus feruet & minus prouidet. Et in Euangelio legitur, quòd Herodes conuiuium faciens, Ioannem Baptistam occiderit.

¶ *De multiplici malo quotidie corpori & anima ex vitio Gulae proueniente.*

MALA verò quæ proueniunt quotidie ex hoc vitio illis quæ habent hoc vitiū, multa sunt. Et primò enumeremus ea mala quæ eueniunt spiritui. Inter quæ primū est grauamē spiritus. Vnde dominus Luc. 21. Attēdite ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Crapula est cruda epula, quādo tātū de cibo sumitur quòd calor naturalis nō sufficit ad decoctionē eius. Adeo enim grauatur spiritus nimietate cibi & potus, vt sit quasi sepultus. vñ de Osee 9. Mēphis sepeliet eos. Memphis interpretatur, ex ore. Nimietas cibi & potus ex oris vitio occasionē habēs homines se pelit. Greg. Quāto corpus impletur, tātō anima minoratur. Vnde Hier. Qui luxuriatur, viuens mortuus est: & qui inebriatur, mortuus est, & sepultus. Rabanus: Vile sepulchrū est ebrietas. Sepultura ista quasi quādā submersio spiritualis est. In aqua em̄ sepeliri est submergi. ¶ Secūdū malū est loquacitas. Vñ Gre. in homilia, de diuite epulone: Prima in male cōuiuantibus famulatur culpa loquacitatis: post loquacitatē ludi etiā leuitas sequitur. Tertium est, lasciuia. Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. ¶ Quartū malū est luxuria. Vnde Hierem. 5. Saturauit eos, & mœchari sunt. Ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Prou. 20. Luxuriola res est vinū. Hier. ad Eustochium: Virgo Christi vinum fugiat vt venenū, Idē: Quicquid seminariū est voluptatis, venenū puta. Idē, Quādiu Eua in paradiso abstinuit, virgo fuit. quā cito præceptum abstinentiæ violauit, corruptionē sensit. Idem ad Furiā virginē: O filia si Apostolus castigauit corpus suum, & in seruitutē redegit, ne cum aliis prædicasset reprobus efficeretur: quomodo tu iuuenula adhuc in furore iuuetutis posita, dapibus & vino plena de castitate eris secura? Ipsa etiā auaritia quādoque prouenit ex vitio gulae. Vnde Hier. Deliciæ & epularū varietas auaritiæ fomenta sunt. Idem: Tolle epularū & libidinis luxuriam, nemo querit diuitias, quarum vsus vel in ventre vel sub ventre sunt.

¶ *De innumeris vitiis proueniētibz ex hoc vitio. s. Inmisericordia, &c.*
SEQVITVR ex hoc vitio similiter Inmisericordia. Vnde Amos 6. Bibētes vinū in phialis & optimo vngucto delibuti, nihil

hil cōpatiebantur super cōtritione Ioseph. Ad idē facit q̄ legitur Luc. 16. de diuite epulone qui Lazaro cōpassus nō est. Et vniuersaliter homo vitio gula subiect⁹ nulli alij vitio resistere potest. Vnde Galenus: Ebriosus, leuius est omnium peccatorū Nullū peccatū potest vitare qui captus est hoc vitio. Ex quo em̄ ori, quod est quasi porta hominis, vitium gula, q̄ est quasi de familia diaboli, dominatur, totā familiā diabolicā, s. vniuersitatem vitiōrū permittit intrare. ¶ Vitiū gula reddit hominē stultū, imō insanū, & ad vltimū reddit eū quasi porcū. ¶ Ad primū faciūt hęc testimonia scriptura: Prou. 20. vbi loquitur de vino & ebrietate. Quicūq; his delectatur, nō erit sapiēs. Et in Job 28. Sapientia nō inuenitur in terra sicut viuentiu. Sen. Copia ciborū subtilitas impeditur. Hiero. Vēter pinguis nō gignit tenuē sensum. Tullius: Mēte recta vti nō possūt multo cibo & potu repleti. ¶ Ad secūdū pertinet q̄ legitur Osee 4. Vinū & ebrietas auferūt cor: id est, mēte, Et eiūsdē 7. Cœperūt principes furere a vno. Seneca: Nihil aliud est ebrietas, quā volūtaria insania. ¶ Ad terciū facit q̄ dicit Senec. Quosdā vētri obediētes loco animāliū numeremus, nō hominū. Hiero. Qui post carnē ambulāt in vētre & libidinē p̄ni, quasi irrationabilia animalia reputātur. Et 2. Petr. 2. dicitur de talibus: Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captione & perniciē. Et glossa interlin. supple tendunt. In hoc tamē deteriores sunt irrationabilibus animalibus, quia illa non incidūt in laqueos quos vident, vel in laqueos in quos alia vice ceciderūt, quod isti faciunt. Vnde Hieron. Bruta animalia & vagæ aues in easdem pedicās retiāque nō incidunt. ¶ Præter ista mala quæ spiritualia videntur esse, sequūtur multa alia mala ex vitio gula. Primò fames. Vnde de gulosis in Ps. dicitur: Famē patientur vt canes. Osee 4. Comedent & non saturabuntur. Hieron. Voluptas habita, famem, nō saturitatē parit. Et Luca 15. dicit filius prodigus, qui tenet figurā gulosorū: Ego autē hic fame pereō. Et ad literā est hoc verū de illo q̄ inebriat se vespere, quōd sitit in sequenti mane. Vnde Prou. 23. dicit Salomō in persona talis: Quādo cui gilabo, & rursus vina reperiam? Deinde sitit vsq; ad prādiū, nisi prius biberit. Idē accidit de esurie: quia in prandio non cessat esuries, vel quia nō habet ea quæ velle, vel quantum velle, vel preparata vt velle. Sicut enim dicit Augustinus: Vbi cūq; quærit caro refectiōē, inuenit defectiōē. Si autem accidat quōd habeat, quæ, & qualia, & qualiter vult, nō habet tantum ventrem quantum velle habere, aut deest ei annona, aut faccus. Nō potest esse sine fame, cui ex defectu

fectu famis fames nascitur: tunc oportet eum ire spatiarum, ut sic eluriet, & sic famem venetur. Læditur etiã natura. Vnde Iob. 20. Cum satiatus fuerit arctabitur, & omnis dolor irruet super eum. Homo satiatus arctatur: id est, arctus sibi videtur: sicut angusta videntur alicui horrea sua propter multitudinem frumẽti. Dolor enim irruit super eum: non enim consequitur voluptatem quã quæsiuit. Vnde Tullius: Si videres istos epulones velut opimos boues stertere & sudare, intelligeres eos qui maximè sequuntur voluptates minimè assequi quod volunt. Qui vitio gulæ laborat, patitur pro delectatione vnius horæ molestiam diei vnius vel mensis: quia in acutam vel altam infirmitatem incidit. Seneca: Ebrietas vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Ecclesiast. 30. Amaritudo animæ, vinum multum potatum. Ex vitio etiã gulæ sequitur vigilia. Vnde Ecclesiast. 5. Dulcis est somnus operati, huc parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. Sequitur etiam inde paupertas. Vnde. Ecclesiast. 19. Operarius ebriosus nõ locupletabitur. Proverb. 21. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguiã, nõ ditabitur. Causa vero quare talis non ditatur, tangitur in Aggæo, vbi sic legitur cap. 1. Qui cõgregauit merces, misit eas in lacum pertusum. Quãdoq; ebriosus quod per totam hebdomadam laborauit, in die Dominica ponit in lacum pertusum, scilicet in ventrem. ¶ Sequitur etiã ex vitio gulæ, corporis infirmitas: nec vna tantum, sed plures & quandoquo mors. ¶ Ad primũ pertinet quod legitur Ecclesiast. 37. In multis elcis erit infirmitas. ¶ Ad secundum pertinet quod dicit Seneca: Quis hostis in quẽquã tã contumeliosus fuit, quã in quosdam voluptates suæ sunt? Sufficit alicui si hostem suum excæcat: sed voluptates non solum excæcãt voluptuosos, sed etiam impotentes reddunt, & contractos, & leprosos & diuersis aliis infirmitatibus affigunt. Ad tertiũ pertinet quod legitur. Ecclesiast. 37. Propter erapulam multi obierunt. Et Seneca. Potest nostra prouidentiã huic corpusculo longiorẽ prorogare morã, si voluptates quibus maior pars perit, poterimus regere & coërcere. ¶ Ad quartum pertinet quod legitur Ecclesiast. 7. Inveni mulierẽ morte amariorem. Hęc mulier est voluptas carnis quę morte est amarior: quia nõ vna sola morte interficit, sed triplici: scilicet morte temporalis, morte culpæ, & damnationis aternæ. Ad idẽ pertinet quod legitur Proverbior. 23. Vacantes poribus, & dentes symbola, confumentur. Et post in eodem: Ingitur biãde: sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffund

fund

fundet. Et Naū 1. Sicut spinæ se inuicē cōplectuntur, sic cōiuuū
corū pariter potātium cōsumetur quasi stipula ariditate plena.
Hoc vitium seruū nostrū naturalē dominari nobis facit. vnde Ec.
12. Benefac humili: id est, animæ: & ne dederis impio. i. corpori,
Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potētior te sic. Et Pro. 29. Qui
delicatē à pueritia nutrit seruū suū, postea sētiet eū contumacē.

¶ *Quod vitium Gule est vna de grauioribus infirmitibus.*

D E C I M V M faciens ad detestationē huius vitij est hoc, q̄
vitium istud est vna de grauioribus infirmitatibus spiritualib⁹.
Perpenditur autem grauitas huius infirmitatis ex hoc, q̄ citò
interficat vel suffocat, durē affligit, vix curatur, multas expen-
sas requirit, quæ tamen potius nocent quàm profunt. Omnia e-
tiam genera infirmitatum & spiritualium & corporalium in-
ducit hæc infirmitas. Propter primum assimilatur hæc infirmi-
tas squinantia, quæ est infirmitas gulæ citò suffocans hominē.
Propter secundum assimilatur hæc infirmitas cuidam infirmi-
tati quæ dicitur appetitus caninus, vel bolismus. Affligit enim
hæc infirmitas hominē fame insatiabili, sicut ostēsum est prius.
Vnde Prover. 13. Iustus comedit, & implet animam suam: vter
autem impiorum insatiabilis est. Vix etiam curatur vitium istud:
quia initium habet ab humana necessitate, sicut ostēsum est
prius. Nec senectute videtur deficere sicut luxuria: imò tūc au-
getur, & medicamentum eius vertitur in nocumentum. Vnde
Grego. in Moral. Quot solatia ad viuendi vsum querimus, qua-
si tot nostræ ægritudinis medicamentis obuiamus: quia hoc
ipsum medicamentum in vulnus vertitur: quia exquisito reme-
dio paulò diutius in hærentes, ex eo grauius reficimur, q̄ proui-
dē ad refectionē paramus. Senes enim magis amant bonum vi-
tium: expensas etiā tantas requirit hæc infirmitas, vt multi hoc vi-
tio depauperētur, & semper deterius se habent. Quomodo autē
ex hac infirmitate cætera introducātur, satis manifestum est ex
prædictis. ¶ Undecimū faciēs ad detestationē hui⁹ vitij est hoc,
q̄ ille qui hoc vitio capitur, à diabolo valde periculose capitur.
Vnde cum diabolus querat eum mortificare, secundum illud
Psal. Cōsiderat peccator iustū, & querit mortificare eū: iam est
prope intentionē suā, cum ad gulā manū ei tener. Ad hoc refer-
ri potest illud verbū Sen. Voluptates inter res vilissimas præci-
piē extirpa, quæ more latronū in hoc nos amplectūtur vt strā-
gulēt. ¶ Duodecimū faciēs ad detestationē huius vitij est hoc
q̄ ille qui hoc vitio à diabolo tenetur, valde firmiter tenetur.
Hoc enim vitium est quasi quoddā frænū ori ipsius impositum.
Vnde

Vnde potest eum circūducere ad voluntatē suam: iuxta illud Iac. 3. Frana in equorū ora ad consentiendum nobis mītrimus, & omne corpus corū circūferimus. Est etiam vitū istud inter difformitates spirituales, quasi latitudo oris: nō talis, qualē habent ora canū, qui dicūtur leporarij vel venatici, sed talis qualē habet os inferni. Infatiabilis enim est, nec sufficit ei quod gignit terra, nisi & aquatilia & volatilia habeat. Vnde Hiero. Lauri paucorum iugerum pascuis aluntur, vnica sylua pluribus elephantibus sufficit: homo verò terra, & mari pascitur.

¶ *De graui seruitute qua laborat gulosus, qua in sex attenditur.*

PENULTIMVM faciēs ad detestationē huius vitij est hoc, q̄ ille qui laborat hoc vitio, est in seruitute valde graui & valde ignominiosa. Sex autē sunt in quibus attenditur grauitas huius seruitutis. ¶ Primū est hoc, q̄ ipse est seruus eius qui naturaliter debet seruire ei, scilicet corpori sui. Ad hoc pertinet illud quod legitur Prou. 19. Nō decet seruū dominari principibus. Et illud Prou. 30. Per tria mouetur terra, & quartū sustinere nō potest, per seruū cū regnare cōperit. Seruus iste corpus est, ex cuius dominatione terra mouetur: q̄a homo vel ecclesia turbatur. ¶ Secundū est, q̄ talis omnium illorum seruus est quibus indiget corpus. Vnde Sen. Multis seruit, qui corpori seruit. ¶ Tertium est, quia talem oportet seruire cuidā dominæ, scilicet gulæ, cui nullus potest seruire ad suā voluntatē, quæ vult singulis diebus parari sibi varia sercula, de quib⁹ nihil remanet: sed postquā tetigerit, proicit, & in locum turpitudinis, & quasi perditionis trāsmittit. Ad hoc pertinet quod legitur Ioel. 1. Vlulate qui bibitis vinū in dulcedine: perit enim ab ore vestro. Et illud verbū Ber. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie aestimatur, vix duorum habet latitudinē digitorū. Nō durat delectatio, nisi quantū durat transitus ille per gulā, & pro illo transitu vult domina gula tot & tāta sibi parari. ¶ Quartū est, quod ipse vili labori intendit: quia impletioni loci immūdi, scilicet vētris. Qua enim ratione locotū immundorū euacuatio est vile opus, eadē ratione etiā impletio. Intēdit enim sacci vnus refectio, & sacci immūditia pleni, cū intēdit refectio corporis. Corpus enim saccus est. Vnde in Psa. Concidisti saccū meū. Ipsa etiam gloriosa & beata caro Christi sacc⁹ vocatur. Quid autē est hoc, intēdere refectio sacci vnus x l. annis, quē ad vltimū scio putrescētū? ¶ Quintū est hoc, q̄ vanus & quasi inutilis est labor eius. Satis vanus videt labor quo aliquis laborat, vt delitiose pascat latronem vanū morti dānatū. Latro iste morti dānat⁹ est, corpus

nostrū. Vnde Sen. Omnes capitali supplicio cōdemnati sumus. Satis etiā videtur van⁹ labor quo homo laborat vt vermes spē didē pascat. Non est curandū quale inueniat carnē vermes, vel pingue, vel macilentā. Carnē impinguare, est vermibus escam pręparare. ¶ Sextū est q̄ domina gula totū laborem hominis requirit. Vnde Ecclē. Omnis labor in ore eius. ¶ Vltimū faciens ad detestationem huius vitij est cōmendatio sui cōtrarij, scilicet cōmendatio Tēperatię vel Ieiunij. Sed de hoc alibi dicetur.

De speciebus Gule.

P A R S I I.

Sequitur de speciebus huius vitij, quę sunt gastrimargia, siue comeslatio & ebrietas. Dicitur autē gastrimargia, eo q̄ in castris ventris omnia mergantur. Ad cuius detestationem sufficiant ea quę ad detestationem gulositatis superius dicta sunt.

Quę mala veniant ex Ebrietate.

Sed ad detestationē ebrietatis, quę semp vitiosior est, aliqua addemus. Primū est, q̄ ebrietas proditiose agit. Exercit⁹ enim illius pacificē recipitur, & pōt nocet. Vnde Prouer. 23. Ne intuearis vinū quando flauescit, cum splēduerit in vitro color eius: ingreditur blāde: ecce pacificus ingressus, sed in fine mordebit vt coluber: ecce nocuentū. ¶ Secūdo facit ad detestationē huius vitij multiplex maledictio, quā De⁹ ebriis facit. Vnde Esa. 5. Vā qui cōsurgitis mane ad ebrietatē sectandā & potandum vsq; ad vesperū. Et pōt eodē cap. Vā qui potentes estis ad bibendū vinū. ¶ Tercio dicitur contra aliquos qui gloriantur ex hoc q̄ possunt multū vinū sustinere. Et Esa. 28. Vā coronę superbię ebriis phiraim. Et prou. 23. Cui vā? cuius patri vā? cui rixā? cui foueā? cui sine causā vulnera? cui suffossio oculorū? nōne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? Et dicit Glos. super illud, Cui suffossio oculorū. Immoderatus haustus vini exterioris & interioris visus ingerit cęcitātē. ¶ Tertio facit ad detestationem huius vitij hoc q̄ omnia bona dissipat in homine. Bona gratię dissipat vsq; ad fundamentū eorum, scilicet vsque ad fidē. Vnde Ecclē. 19. Vinum & mulieres apostatate faciunt sapientes: bona etiā naturę exterminant vsq; ad insensibilitatē. Vnde rouerb. 83. dicit ebriofus: Verberauerunt me, & non dolui: vulnerauerunt me, & non sensi. Vnde August. Ebrietas aufert memoriā, dissipat sensum, confandit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit, & omnē salutem exterminat. ¶ Quarto facit ad detestationē huius vitij hoc quōd dicit Augustin. super illud Genes. 43. Biberunt, & inebriati sunt

sunt cum illo, verbum inebriandi vt ait August. pro saturitate ponitur. Et post subiungit Inebriari, vt inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ est vtile, quoniã maiore humore quàm sufficit, corrumpitur: sic vita ebriosi qui nõ satietate se replet, sed emergitur diluuiõ. ¶ Quintõ facit ad detestationem huius vitij, quod Grego. de illo dicit: Ebrietas, inquam, est blandus dæmon, dulce venenum, suauè peccatum: quam qui habet, non se habet: quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum.

¶ *De alijs quinque speciebus Gulae secundum Gregorium*

ALTERA distinguitur quinque species huius vitij à Greg. super illud Gen. 27. vbi dicit Esau Jacob: Da mihi de coctione hac rufa. ¶ Prima species est, cum quis horam comedendi præuenit: vt legitur de Ionatha 1. Reg. 14. Talis timere potest illã maledictione quæ habetur Eccl. 10. Vt tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Terra intelligitur hic homo. Terra enim est, & in terram ibit. Rex est liberũ arbitrium, qui animã habet regere. Principes intelliguntur quinq; sensus: sicut illi qui verũ Deum colunt, ab honore & obsequio diuino diem inchoare volũt: sic illi quoru Deus vter est, primo quarunt regnũ Dei sui. Regnum Dei eorum, est esca & potus. ¶ Secunda species est, quãdo aliq; nimis delicatã vult habere, vt legitur Numeri 11. de filij Israel, qui in eremo carnes desiderabant. Et in Luca legitur de Diuine epulone, q; epulabatur quotidie splendide, Seneca: Palatũ tuũ fames excitet, non sãpores.

¶ *Triplici ratione ostenditur quare homo non debeat quære: e delicata.*

TRIPLEX autẽ ratione non debet homo quærere delicata. ¶ Primõ propter naturã vasis cui cibos quos sumimus infundimus: corrumpit enim quicquid infunditur. Si quis haberet aliquod vas quod corruperet vinũ quando est infusum, ipse nõ infunderet ibi de meliori quod haberet. Ad hoc pertinet quod legitur Ioel. 1. Vlulate qui bibitis vinũ in dulcedine: perit enim ab ore vestro. ¶ Secundõ propter hoc: quia cum delectabilia tibi dantur in adiutorium carni aduersus spiritum concupiscenti, fiunt duo cõtra vnum, & vincitur spiritus. Vnde Bernard. de condimentis: Sufficit vt comestibilia fiant, non concupisibilia. Sufficit enim concupiscentiã malitia sua: quæ cum vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcunque delectationis si cõperit habere irritamenta, fiunt duo cõtra vnum, & periclitatur continentia. ¶ Tertiõ, cum carnũ delitiæ dantur, vult eas post ex consuetudine habere. Vnde Prouerbiorum 22. Prouerbiũ est,

Adolescēs iuxta viā suam, etiā cum senuerit, nō recedet ab ea. Cum homines timeant tantū malā consuetudinem, q̄ etiā à dilectissimis non sustineāt eam super se adinueniri: mirum est quomodo seruo nequam, scilicet corpori hoc tolerare volunt. ¶ Tertia species est quādo quis nimis sumit: vt legitur de Sodomitis, Ezech. 16. Hierony. Pluuia illa optima est quæ sensim descendit: subitus autē & nimius & præceps imber, arua subuertit. Similiter nimius cibus nocet. ¶ Quarta species est studiositas quæ pertinet ad sollicitudinē & curiositatē laurē præparandi: vt legitur de filiis Heli. 1. Reg. 2. De studioso dicit Isid. Tota die epulas ruminat, qui ad explendā gulam vespere delicias præparat. Talis est quasi animal ruminās. Sed in hoc differt à ruminātibz animalibus, quia bruta animalia ruminantia rumināt post sumptionem cibi, sed talis ruminat ante. ¶ Quinta species, est quum quis nimis auidē, vel ardentē sumit cibū: vt legitur de Esau. Gen. 25. Vnde Eccle. 27. Noli auidus esse in omni epulatione, neque te effundas super omnem escam. Et August. Melius est piscibus vesci more domini, quā lenticula more iumentorum. Signum fœdæ auiditatis est in sumendo cibū, tremor manuum scyphū & bolum tenētium, effusio vultus exterioris super cibaria, cū toruis oculis, quam comitatur effusio vultus exterioris super escam, quæ est quando sic animus ad cibum ardore trahitur, vt aliquid cogitare nō sinatur. Signū etiam huius fœdæ auiditatis est inordinatio scindēdi panem, masticandi cibum & sumendi. Bern. Etiam ad sanitatē corporis quanto cibus honestius & ordinarius ingeritur, tanto facilius & salubrius digeritur. Contra auiditatem istam consilium est interponere psalmum vel aliam orationem. Hæ species cōtinentur in hoc versu: Præ, properē, laurē, nimis ardentē, studiōsē,

¶ *De alijs quatuor speciebus Gule.*

POSSUNT etiam addi his quinque speciebus aliæ quatuor species. Prima est, quū quis nimis frequenter sumit cibū. Sufficit homini sano sumere bis in die ad plus cibū. Frequēs autē sumptio cibi multū nocua est, corpori, secundū enim artē medicinale, vna de deterioribus rebus est apponere cibū super cibū indecoctū. Alia species est, quādo quis variis ferculis vult vti. De qua varietate dicit Seneca: Fastidientis stomachi est multa degustare, q̄ vt varia sunt & diuersa inquināt, nō alūt. Sicut aliqua sunt, quæ diuisa placēt, cōiuncta verò nobis abominabilia sunt: sic cōiunctio tot diuersorū ferculorū in stomacho interdū est abominabilis naturæ. Tertia species est, quum quis noua

requirit

requirit & inconſueta. Quarta, cum pretioſa vel ſumptuoſa, nõ habens etiam reſpectum ad hoc quòd ſint magis ſaporofa.

De quatuor ſatellitibus quibus vitur vitium Gule. PARS III.

Dlecto de ſpeciebus huius vitij, cõſequenter dicendũ eſt de quibusdã ſatellitibus, quibus vitur vitium iſtud: quæ quatuor ſunt præcipuè. Primum eſt ambitio, de qua dicit Sapiens: Non magno nobis conſtat fames, ſed ambitio. Maiorem partem eorum quæ expendunt ſuperbi, faciunt ad paſcendũ oculos hominum. Sed ſi nullus hoc deberet ſcire, ipſi quandoque non expenderent decimã partem eorum, quæ expendunt. Alia tria ſunt, ciborum delectabilitas, ſiue ſit ex generibus ciborum, ſiue ex modo præparandi, & ciborum varietas, & qualitas.

De octo remediis contra vitium Gule. PARS IIII.

Sequitur de remediis cõtra vitium iſtud, quæ octo ſunt. ¶ Primum eſt ſermo diuinus. Hoc remediũ docet nos Dominus Matth. 4 vbi dicit diabolo tentanti ipſum de vitio gulæ: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Et Greg. Frequens ſumptio cibi ſpiritualis interdũ inducit contemptum & obliuionẽ cibi corporalis. ¶ Secundũ remedium eſt moderata occupatio. Hoc remedium inſinuat nobis Salomon in Proverb. 21. Deſideria occidunt pigrum noluerunt enim quicquã operari manus eius: tota die concupiſcit & deſiderat. Homo otioſus patitur famem vniuerſalem. Aures enim eius eſuriũt rumores, oculi vanitates gula cibos: ſed occupatio in magna parte ſedat famem iſtã. Mallent autẽ ſpecialiter hæc duo remedia, ad hoc ne homo horã præueniat, vel ne nimia ſolicitudinẽ de cibo ſibi præparãdo habeat. ¶ Tertiũ remediũ eſt, elongatio ab his qui dant occaſionem excedendi in cibo vel potu, ſicut eſt delectabilitas, vel varietas, vel nimietas ciborum. Licet enim illud quod legitur Eccleſ. 21. Quasi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad ea, ſuſcipiet te: videatur generaliter dictum de omni peccato: ſpecialiter tamen hoc reſerri poteſt ad illa peccata in quibus tentat ſuauietas vel voluptas. In illis enim in quibus aduerſitas tentat, melius poteſt expectari conſictus: vnde non eſt ſecurum accedere ad mentem, vbi nimia, vel varia, vel delicata ſunt appoſita homini, qui vult curari ab hoc vitio. Hoc inſinuat nobis Genef. 3. vbi ſic legitur: Vidit mulier lignum quod bonum eſſet ad veſcendum, & pulchrum oculis & delectabile aſpectu, & tulit de fructu illius & comedit. Vnde dicit Gregorius: Non licet intueri quod non licet cõcupiſci. Et Eſa. 28. loquẽs de flore gloriæ exultationis, di-

cit: Quòd cū aspexerit videns statim vt manu tenuerit, deuora-
 bit illud. Non est securū intueri vel videre delectabilia ¶ Quar-
 tum remedium est, frequenter considerare qualis post mortem
 caro sit futura. Hoc remedium docet nos Gregor. dicens: Nihil
 adeò valet ad domanda carnis desideria, sicut cogitare qualis
 sit futura mortua ¶ Quintū remediū est, æternæ cœnæ medita-
 tio, ad quam inuitati sumus. Hoc remedium docuit nos Domi-
 nus, vbi nos ad cœnā illam inuitatos esse docuit. Aliter comedit
 ad cœnā delicatam inuitatus, & aliter non inuitatus. Qui enim
 inuitatus est, parum comedit in prandio ne cœnā amittat. Sed
 sunt quidā qui adeò similes sunt facti iumentis, quòd de filiquis
 porcorum hīc impleri desiderant, & de illa delicata cœna, &
 æterna non curant, cuius sola esuries hominem beatum reddit.
 Beati enim qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi satura-
 buntur. quid faciet ipsa refectio, si esuries ipsa beatum reddit?
 ¶ Sextum remedium est, cōsideratio malorū quæ excessum ci-
 bi, & potus sequuntur. Sequitur enim inde triplex mors, scilicet
 mors culpæ: & interdū mors corporis in presenti, & in futuro
 æterna mors, scilicet corporis & animæ. Ad hoc pertinet quod
 legitur Iob 6. Aut gustare quis poterit, quòd gustatū affert mor-
 tem? Cum magna mensura sumuntur medicamenta, sic & ali-
 menta sumi debent, secundum Augustinum. ¶ Septimum reme-
 dium est, cōsideratio penuriæ Christi & in se, & in mēbris suis.
 Ad primū monemur Thr. 3. Recordare paupertatis meę & trans-
 gressionis, & absynclij, & fellis. Paupertas etiā ipsius in mem-
 bris suis multū deberet homines retrahere a superfluitate, quā
 faciunt in conuiujs suis, quam cogitāt quantā paupertatem sus-
 tinet Christus in pauperibus & infirmis ad mortem, qui vix pos-
 sunt interdū panē habere. Mirū est quomodo sæpe non remor-
 det cōscientia diuites huius sæculi quando cogitant, q̄ ipsi sub-
 trahunt ori Dei in pauperibus q̄ ponunt in ore diaboli. Pascunt
 enim filios diaboli, scilicet malos, & Dei filios fame ferire per-
 mittunt. ¶ Vltimum remedium est & summū, Dei gratia. Vnde
 qui laborat hoc vitio, orationi debet instare, & Dei gratiam pos-
 tulare, quæ ardorem huius viti sedat. Vnde Ioan. 4. Qui biberit
 ex aqua quam ego dabo ei, nō sitiet in æternum. Et ad Hebr. 13.
 Optimum est gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt
 ambulatibus in eis. Ad idem pertinet illud verbum Senecæ:
 Si vis, inquit, in perpetua voluptate esse, non voluptatibus adii-
 ciendum est, sed cu piditatibus detrahendum. Cupiditatibus ve-
 rō non detrahitur, nisi quum ros gratiæ infunditur.